



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 2. In qua re vel actione posita est incruenti sacrificii essentia?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**



*Quaest. 2.* In quam re, vel actione, posita est incruenti Sacrificii essentia?

*Resp.* Constat primò, in oblatione vocali, quæ consecrationem vel antecedit, vel subsequitur, non consistere essentiam incruenti Missæ Sacrificii: etenim essentia cujuscumque Sacrificii, consistit in oblatione rei, in ipso offerendæ, cum intentione colendi Deum, veluti supremum dominatorem vitæ, & necis, & tanquam authorem bonorum omnium. Per vocalem autem illam oblationem sive consecrationem antecedit, sive subsequatur, non offertur, quod offerendum est in Sacrificio Missæ; neque enim per utramvis hujusmodi oblationem Corpus Christi, & ejus sanguis, præsens sistitur in Altari, quod tamen fieri oporteret: neutra igitur talium oblationum pertinet ad essentiam talis Sacrificii. Præterea per duplicem illam oblationem nihil immutatur, nam per priorem materia dumtaxat Sacrificii præparatur ad consecrationem; per alteram verò, quæ consecrationem subsequitur, nihil pariter immutatur, sed immutatio, quæ dumtaxat per ipsa Christi verba re ipsa facta est, nec aliter fieri potest, supponitur.

Secundò, neque Hostiæ fractio, neque mixtio, neque distributio, pertinet ad essentiam hujus Sacrificii; *Dicendum*, ait Divus Thomas, *quòd fractio Hostiæ consecrata, & quòd una sola pars mittatur in Calicem, respicit Mysticum Corpus, sicut admixtio aquæ significat populum. Et ideo horum prætermissio non facit imperfectionem Sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem hujus Sacramenti. Et per consequens, ex Divo Thoma, illa omnia non sunt de essentia Sacrificii Missæ.*

Unde videtur dicendum, quod consecratio

D. Tho. 3. p.  
q. 83. art. 6.  
ad 6.



*De Sacrificio Missæ. Cap. III. 243*

& consummatio Hostiæ facta à sacerdote sunt de essentia Sacrificii Missæ; quod satis patet ex eo quod præscribit Ecclesia in Rubricis Missialis supra relatis, videlicet quod *Si sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, præmittitur Missa; si post consecrationem Corporis tantum, aut consecrationem sanguinis, vel utroque consecrato, id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desit, & in casu necessitatis, etiam per non jejunum.* Quod tamen non præscriberet Ecclesia si Communio non esset de essentia Sacrificii Missæ, sicut non vult quod alius Sacerdos perficiat Missam, quando primus moritur ante consecrationem, quia tunc nullum est Sacrificium, cum cæremoniæ quæ præcedunt consecrationem non sint de essentia Sacrificii Missæ, ut mox diximus.

Et ut ait Concilium Toletanum relatum in Canone; *Nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Et ex hoc innuens quod illud Sacrificium nullum esset.

*Can. Relatum, De Consecr. dist. 2.*

*Quæst. 3.* Si Communio est de essentia Sacrificii, quomodo dici potest quod Fideles offerunt Sacrificium simul cum Sacerdote, quando non communicant?

*Resp.* Fideles semper cum Sacerdote sacrificant, quia semper debent in omnibus Missis quibus interfunt communicare saltem spiritaliter, ut ait Concilium Tridentinum his verbis: *Nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat atque adeo commendat; siquidem hæc quoque Missa verè communes censeari debent, partim quòd in eis*

*Conc. Trid. sess. 2. de Sacrif. Missæ, cap. 6.*